

Nov. 12. D.

CANTILENAE
INTELLECTUALES

In Triadas 9. distincta,

DE PHOENICE RE-
DIVIVO, HOC EST,

*Medicinarum omnium pre-
tiosissima, (que Mundi Epitome & Uni-
versi Speculum est) non tam altâ voce, quàm
profundâ mente dictata, & pro*
CLAVE

Ternarum irreferabilium in Chymia
arcarum rationabilibus ministratæ,

AUTHORE

MICHAELE MAIERO, COMITE
*Equite, Doctore Medico, Exemp. olim
Ces. Majest. Aulico &c.*

ROSTOCHII

Typis MAURITII SAXONIS, prostat
apud Johannem Hallerfordium Bibliopol.
Anno M. DC. XXII.



SUMMA ET SE-
RIES TRIADUM
Quadratarum.

Prima Trias quadrata da-
bit cognomina rebus
Indita distinctis, series feret Al-
legorias
Alteras, Divinas sed tertius or-
do figuras.



ILLU



ILLUSTRISSIMO, CELSIS-
simoque Principi ac Domi-
no, Dno.

FRIDERICO,
HÆREDI NORVVEGIÆ,
Duci Slesuici, Holsatiæ, Storma-
riæ ac Dithmarsicæ, Comiti in Olden-
burg & Delmenhorst, Domino meo
Clementissimo, D. D. D.



Vemadmodum, Illu-
strissime, Celsissimeq; Prin-
ceps, Uniuersa rerum na-
tura visibiles, omniaq; tãns
coelestia, quàm terrestria mundi corpo-
ra constant certo numero, pondere
& mensura, hoc est, conueniente in-
ter se, delectabilig; partium, virium,
qualitatum, quantitatum & effectuum pro-

d a

um pro-

um proportione, atq; sic reali quasi Mu-
sica Harmonia concentu gaudent, ita
quoq; spirituales creaturae, inter quas
Mens nostra seu intellectus numeratur,
suis ducuntur Melodiis & symphonicis
intervallis: In majore illo universi sy-
stematè, respectu Basis terræna, Dito-
nus est ad regionem lunarem usq;, Di-
apente ad cor mundi, Solem, Diapa-
son ad extremum cœli, ut ita prior di-
stantia 18. commatibus, secunda 35. ter-
tia 61. absolvatur: In Microcosmo verò
seu hominis fabrica eadem proportio
observatur inter partes principales E-
par, Cor & Cerebrum ab imo pede nu-
merando non tam arithmeticè aut geo-
metricè, quàm physicè: Similiter seres
habet in occulto Philosophorum Herme-
ticorum subjecto, uti (tanquam in mi-
nimo & Philosophico mundo) sese in-
ternas homogeneas naturas proportio-
naliter

naliter distinguat, quarum una gra-
vem, altera mediam, tertia acutam
vocē edat, eodem modo, ut Pythagoræ
mallei fabriles ob diversa & symmetri-
ca pondera non inconcinnam reddidēre
harmoniam: Quæ omnia dum Intelle-
ctus rationabilium hominum contem-
platur & summa cum imis, totum cum
partibus, causasq; cum effectibus com-
parat, Echo quædam musicalis Trivoca
in eo resultat, non tam sono aures, quàm
sensu mentem internè afficiens & mul-
cens, Aspendij more, qui intus ce-
cinisse dicitur: Ut enim ardentes ad
Deum preces effusa, etiam tacite & si-
ne strepitu clamare præsumuntur, ita
& in Intellectu cantilenæ silentio con-
sonantes percipi: Nec verò rarum est
apud philosophos, multa de arcanis suis
ebuccinari, quæ tamen in audientium
captum non perveniant, ut nimirum

literæ inherentes sensum vix venentur,
aut vocum bombo intenti rem nõ intel-
ligant; Ita & vice versa Intellectus in-
strui potest mutis vocibus, seu cantile-
nis, quarum concentus ad vulgi aures
non descendat, aut admittatur: Cum
itaq; Illustrissime Princeps, & ego, licet
Philosophantium minimus inter cætera
mea studia, quibus addictus sum, tam
infimi, quam summi & mediæ Mundi na-
turas intimè indagare & rimari cona-
tus sim ac magnam ætatis meæ partem
non solum in contemplatione Mathe-
maticum, nec vero cæli terræq; contento-
rum, sed & praxi Physica in Medicina
Dogmatica (quæ in curatione mor-
borum corporis humani ac præcautione
eorundem consistit) & Hermetica Uni-
versali per incredibiles labores, experi-
mentationes, errores, iterationes, curas
& sumptus exploranda & conficienda
attri-

attriverim & absumpserim, non potui
intermittere, quin post tot naufragia
hunc portum, post tot miseras cum
aceto hoc gaudium, post tanta rerum &
studiorum impendia hoc compendium,
hoc est, post tot sensuum exercitia cla-
mosa & vocalia, has cantilenas Intel-
lectuales sine voce ac clamore indigeta-
rem & ederem; non quidem ea inten-
tione, quasi meam in hoc studij genere
experientiam (qua exigua est) osten-
tarem aut aliis testatam redderem, at
potius, ut harmoniam partium homo-
genearum in uno subiecto consistentium
inter se, cetera mundana & supermun-
dana, DEUMq; ipsum; pro talenti mei
ratione aliquo modo declararem, & sic
mentem sensibilibus, sensumq; intelli-
gibilibus, jucundâ vicissitudine instruerë:
Cur verò id scripti genus, quo ad ex-
ternam charta & versus formam vile

Et exiguum, nec sat dignum, Illustrissi-
mae tuae Celsitudini praeceteris dicatum
Et oblatum velim, causa me non levi-
cule moverunt, quae ipsius, quae mei Et
munusculi chartacei nomine: Ipsius,
quia Celsitudo Tua illustrissima hanc
gratam de se famam per totam, non so-
lum Germaniam, sed Europam, longe
latissimeque, ob in literas humaniores li-
teratosque singularem Et tanto Principe
dignum amorem effudit Et sparsit, ut
haud dubitem, illam meos hosce cona-
tus benigno vultu, etiam qualescunque,
suscepturam, suoque me patrocinio, etiam-
si haecenus ignotum, protecturam: Mei,
quia Holsatus sum patriam, quam ob studia
Hermetica penitus absolvenda Et apud
exteros in diversis regionibus. Et populis
exantlanda, ante 14. annos reliqui lu-
bens Et volens, non, ut spes est, in perpe-
tuum, sed ad tempus, prout Deo et princi-
pi meo placuerit, aliquando reuersurus:

Meos autem, qui qualesq; fuerint, non solum
tota Nobilitas Holsata, sed & parens tuus, a-
vusq; Divae memoriae, quibus illi, quoad vixe-
runt, servitio fidelissimo astricti fuerunt, opti-
mè noverunt: Materia verò, quam obfero
versiculis rythmicis inclusam, eisi videatur
vulgaribus oculis exigua & despecta, attamè il-
lustrissimæ Celsitudinis Tuæ Intellectui circum-
spectissimo & sagacissimo, sub tam vili veste ac
formalataens, ut spero, vix despicietur aut
contemnetur; Quod, velut ominor, si gratum
sit, opus medicinale majoris momenti, ne di-
cam, secretioris doctrinæ, illustrissimo tuo no-
mini nuncupabitur: Interim illustrissimam
Tuam Celsitudinem cum tota Holsatiæ Prin-
cipali domo DEI optimi, maximi protectioni,
meq; illius tutelæ patrociniog; committo:
Dabam Rostochij An: 1622. 25. August:

Illustrissimæ Tuæ Celsi-
tudini

subjectiss: & devotiss:

MICHAEL MAJERUS

Comes &c. Doctor, Eq: &c:

A 5

LEX



LEX CANTILENA
rum intellectualium perpe-
tua Hexastico expressa.

PHOENICEM, volucrum mi-
racula rara, canendo

Dum moror, hæc operi Lex sit
præfixa novello:

Harmoniæ certo respondent or-
dine ternæ,

Semper ACUTA dabit VENE-
RIS modulamina nostræ,

Ast intermedio concurret tramite
piscis

Retrogradus, manet ima loco
GRAVIS ira Leonis,

TRIAS

TRIAS
CANTILENARVM

Intellectualium I. ACUTA: I.

Vulcanios labores
Et igneos tepores,
Queis se solet cremare
Phænix & innovare,
Dicemus, ô favete
Linguisq; st: tenete.
Ætnêa non dat istas
Nobis vorago flammâs,
Nec horridus Vesuvi
Est æstus huic par igni:
Non Hecla, quæ per undas
Sulphur vomit marinas
Per quas aquas vagatur,
Incendium minatur:
Nostri sed ortus ignis
Diversus est ab illis:
Mons hinc patescit omnem
Sublimior per orbem,
Qui cinnamum crocosq;
Herbasq; fert odore.

Hic

Hic unus omne mundo
Lumen dat universo:
Hic suggerit calorem,
Cunctis fovens virorem,
Fax illa sola lenis
Focum ministrat ignis
Volucris unde nostra
Sibi parare busta
Delere, seq; fato
Solet, sepulta letho:
O quam sacratus ille
Siletur ignis arte,
O quam stupenda flamma
Hæc est Sophis notata.
Qui nescit hanc vel istum,
Nil scire constat ipsum.
Vos qui studetis auras
Scientiæ sonoras
Haurire, ne sinatis
Ut tectus hic sit ignis.



I. ME-

I. MEDIA 2.

A Litem charam sophis
Quis canat dignè metris?
Centuplex si faucibus
Lingua sufflaret sonos,
Non avis laudes satis
Prædicarem, cui cinis
Morte vitam perficit
Et vigorem suppetit.

A Syenes limite

Huc vetusto tempore
Aduolavit primitus
Ales, hic pulcherrimus
Purpureæ Phœnix comis
Colla circum plumis
Torque cui sunt obsita
Aureo, sed splendida
Crista munit verticem
Arubinis tortilem:
Candor in pennis patet
Extimè, verùm latet

Intus

*Intus obscurus rubor,
Frigus & vincit calor,
Sanguis hinc venas replens,
Spiritu corpus regens,
Temperamentum notat
Optimum, viresq; dat.
Tecta Phœbi numine
Et Dianæ Florida
Est simul, non feruidum
Sustinet solis metum,
Nec caloris vim timet,
Ignibus nec subjacet,
Acris unda fluctibus
Nec perit rodentibus.*

*Montibus celsissimis
Imminet gaudens jugis,
Unde præceps corruit
Amnis is, qui perluit
Latus Ægyptum rigans,
Ac solum limo beans,
Apis huic est corniger
Fronte lunari sacer. I. GRA-*

I. GRAVIS: 3.

CENTUM mœnia porttis,
Quæ jactaverat orbis,
THEBÆ nomine sacræ
Soli jure fuere:
Hic Alcaia mystæ!
Haud rari coluere,
Quæ Lux coelica mundi
Texit numine Phæbi:
Non his Delphica flavo
Quondam Tempora metallo
Exæquata fuerunt,
Quamvis magna tulerunt
Auri pondera, summas
Regum munus ad aras.
Huc post secula vitæ
Phænix dena peractæ
Pennâ præpete tranat
Ut se funere solvat.
Gaudens relinquere vitam,
Acquiratq; juventam.

Hæc

Hæc est tumba sepulchri
Tantâ digna volucri.
Mausolêa superbo
Fastu condita cœlo
Caris cura, nec ulla
Est huic Pyramis æqua:
Nec Regalia busta,
Ætas si qua vetusta,
Jactet, siue moderna.
Non ignobilis urna,
Tantum funus honestat,
Atridas ut adornat.
Nam cum sole cremandus
Annis mox renovandus,
Phœnix sistitur aris
Thebis, Urbe, decôrîs;
Tum se concutit ipse,
Alis & perit igne.
At sic funere mersus
Non est, sed novus ortus:
Ut fiat sibi mirum,
Phœnix ipse sepulchrum.

TRI-

TRIAS
CANTILENARVM

Intellectualium. 2. ACUTA: 4.

Nunc Musa dic amænis,
Res ut jubet, Camænis,
Quam multiplex sit Igni,
Quo dicitur notari,
Nomen typusq; rerum,
Reddens imago verum:
Ros cœlicus vocatur,
Quo flos agri rigatur:
Sophis amore notus
Et dote delicatus:
Est Unda falsa Ponti
Nostro dicata pisci,
Ut incoquatur, inde
Et luceat rubore.
Est acris hic saporis
Liquor, nec haud odoris
Fætentis, est acetum,
Quod omne rodit aurum.
Hic ignis est Equinum,
Ut humidum fimetum,

Quo

Quo nostra res putrescit,
Et in chaos liquefcit,
Perennis Unda vitæ
Hæc denotatur eſſe.
Hoc menſtrum vocatur,
Quo fætus ampliatur,
Matrice ſub tenella
Dum crefcit omne ſperma,
Nam dum maris citatur
Semen, quod irrigatur
A fæminæ madore
Et paſcitur cruore,
Natura format inde
Fætumq; reddit ore
Parentibus figura
Non imparem decora.
Hic ignis eſt ſacratus
A ſole mutuatus,
Quem protulit Prometheus:
Graiusq; monſtrat Orpheus,
Dum Bacchici triumphi
Vult feſta celebrari.
Hunc lampades levatæ
Curſus notant citatæ,

Commu-

Communis ara Vestæ
Hinc & fuit Mineruæ.

II. MEDIA. 5.

Nemo non novit genus
Unde Phoenix est satus.
Nam pererrat singula
Orbis hujus climata:
Nec locus terris datur,
Quo coram non cernitur:
Non abest a montibus,
Nec profundis vallibus.
Hic lapillus notior
In capitulis dicitur,
Quem saporum plurimè
Mentis Intellectui
Obferunt cerdonibus
Sed tegentes hostibus,
Vultur in cacumine
Montis hic est arbore
Qui struit nidum volans
Pullus unde decidens **Corvus**

Corvus est qui noctibus
Clamat altum lucibus,
Da mihi jus debitum,
Et tibi reddam tuum:
Hic mari Rex mergitur,
Inde qui se nititur
Ex profundo tollere
Inq; regnum ducere.
Cygnus hic est candidus,
Pavo plumis aureus,
Pellicanus sanguine
Qui suos de funere
Evocat pullos, Leo
Est duplex, qui se suo
Sustinet nisi solum
Mox cadens in terreum.
Anguis hic caduceum
Cingit Hermetis gravem,
Quo facit miracula
Nuntius Deum sua,
Namq; somno subiicit
Eximens & quos velit, Mor-

*Mortuis vitamq; dat,
Et neci vivos dicat.*

II. GRAVIS: 6.

Non aptus locus omnis
Est rebus generandis.
Sic nec quælibet urna
Regum contegit ossa,
Quamvis unica Cræsis
Tellus mater & Iris,
Cujus portio nostram
Et post fata volucrem
Qualiscunq; capescit,
Ut mox surgere possit:
At virtus latet intus
Vitæ restituens jus:
Ceu fermenta farinam
In quamcunq; figuram
Panis cocta reducunt,
Nobis aptaq; reddunt,
Ut per singula membra
Succedant alimenta. **Sic**

Sic vis regia terræ
Est quæ vivificat re,
Quæ sunt morte sepulta
Et sub flumine mersa.

Est & lac muliebri
Ex ipsoq; cruore,
Venis corporis actum
Mammis bisq; recoctum,
Quo si quando fit ortus,
Pascatur benè fætus.

Non arcana recludam
Quæ sunt, his tamen addam,
Vas Hermetis amari
Hac tellure parari:
Nam contemnere flammæ
Ac dediscere rimas
Hoc unum valet, inde
Omni poscitur arte.
Hæc est regia cera
Firmans nostra sigilla.

Pau.

Paucis multa retexamus
Hæc res unica formam
Dat, præbetq; vigorem
Cunctis rebus honorem.

TRIAS

CANTINELARVM

Intellectualium. 3. ACUTA. 7.

Quantum boni dat ignis,
Referre vix queat quis:
In rebus universis,
Ufu vel hujus artis,
Iners rigor ligaret,
Et cuncta suffocaret,
Si non calor foveret,
Viresq; sustineret,
In arte nil iuvaret,
Opus nec ampliaret,
Si non adesset ignis,
Qui notus est magistris:
Nullis nutritur herbis,
Nec crescit ille lignis:
Nec esse bestialis,
Sed penè mineralis

ER

Est agnitus, vocatur
Ferrum, quod alligatur
Magnetino lapillo
Hærens amore firmo.
Est sulfurata tæda,
Argenteiq; viva
Liquoris unda tingens
Et rem colore fingens:
Est spiritus benignus,
Qui cuncta format intus
Subtilitate donans
Et omne corpus ornans.

O mira vis caloris
Quàm magna dona prodis
NotâSophis in arte
Opus regas ut omne.
In igne namq; solo
Consistit artis ordo:
Ab hoc procul profani
Et non abite sani,
Ne flamma vos sacrata
Tangat, nequam vè lingua
Vulgo revelet illam
Quam profit esse testam. . . III. ME-

III. MEDIA: 8.

Quanta vis Lunaria:
Addicetur herbula,
Ex librorum paginis
Cernitur passim satis.
Quæ rubro sit stipite,
Subnigro sed cortice,
Flore citrino, bona
Suavitate prædita,
Crescit ad Luna vices
Et virescit indies.
Lullius subtilibus
Velat hanc contextibus,
Et sophorum plurimi
Prædicant tantæ rei
Abditam vim, posteris
Atq; commendant suis.
Qui locum non suggerunt
Quo viget, sed supprimunt.
Hæcq; Glauce proditur
Mortuis qua redditur.

B.

Vita.

Vita tactu piscibus
Et calor redit novus,
Ipsa Molij traditur,
Si poëtis creditur:
Quam dedit Laërtio
Editus Majâ cato,
Fascinum quò verteret
Et venenum vinceret:
Dira strix quod poculo
Obtulit Circe suo.
Sol potentialiter
Huic inest, realiter
Luna, quæ metallicis
Antecellunt cæteris.
Sola subjectum basis
Illud est artis gravis:
Magnes est ferrum trahens,
Et vapor lympham tenens:
Morbus est piscis salti
Sydus extat est poli:

III. GRA.

III. GRAVIS. 9.

ALtis Pergama muris
Non vi victa, nec armis,
Sed fictæ superata
Artis fraude Pelasga,
Postquam dona Minervæ
Captarent sibi gratæ
Quisquam novit, Equinâ
Quod sint perdita forma,
Hæc dum subdidit hostes
Alvo, quos tulit intus.

Hæc sunt mænia Trojæ
Firmâ turribus arce,
In quam nil referemus,
Si non arte juvemus.

Nam non corpora captant
Vim, quam spirituum dant
Auræ sive vapores,
Naturæq; colores,
Si non illa marito
Nubat fæmina fixo;

Bz.

Astus

Astus hos imitare
Græcorum, generare
Si quæras tibi notum
Verax arte lapillum.

Hæc sunt poma citatæ
Quæ currens Atalantæ
Ter projecit Ephebus
Palmam prændere certus.

Solis filius audit,
Hic qui vellera promit,
Phryxi, Martis in horto
Debellanda duello.

Hæc immota palati
Sunt fundamina nostri,
Quæ si nescia defint,
Nil quid cætera profint.

Hic est nidus inermes
Donans veste volucres.
Ex quo sæpe resurgunt,
Implumesq; revertunt.

TRIAS

TRIAS
CANTILENARVM

Intellectualium. 4. ACUTA: 10.

Virgo decente formâ
Ex stirpe regis orta,
Matura jam marito
Se mancipare pulchro
Dum nititur, per oras
Mittit procul remotas,
Qui nuptiis decorum
Quærant amore sponsum:
Hi multa permeârunt
Dum regna, navigârunt
In Indiam supremam
Quâ versus est Iâpan.
Hic veste vilior
Inventus est cruore
Qui regio venustus
Vir diceretur ortus:
Villosa pellis omnes
Illi tegebat artus,
Plumæq; crebriores
Hæfere per capillos;

B S

Hinc

18

Hinc quolibet movere,
Ventoq; se ciere
Solebat, hunc vocârunt
Et nuptiis dicârunt
Tam splendidae puellae,
Quos est secutus ille:

Præfixa lux honori
Solennis est, decori
Ne quid relinqueretur,
Sed omne jus daretur.
Thorus jugalis ambos
Accepit igne captos
Et Cypriæ favore
Ligavit ex amore.

Tres pronubi ferebant
Tædas, choros trahebant,
Plausère Gratiarum,
Trigæ, novemq; cantum,
Musæ dedere, Phœbo
Suavi sonante plectro.

O quam premit benignus
Hinc mox utrosq; somnus,
Ex quo levata virgo
Fætum gerebat aluo.

IV. MEDIA. 2.

ORbe Lunari fere
Decidisse plurima
Afferuntur Ethnicis,
Fortè sed non abs tropis.
Ex ijs fertur Leo
Monte servus arduo,
Herculis quem sustulit
Robur & morti dedit.
Ille spumâ lucida
Congelatus Cynthia
Dictus est in inferum,
Lapsus è celo solum.
Fabula sed veritas
Huic subest, haud vanitas.
Nam Leonino latet
Ore res, quæ per placet
Præ bonis mundi sophis,
Est & illis utilis,
Artis haud parva liquet,
At quis hunc neci dicet?

B 4

Huic

ME

Huic sit Alcide manus,
Clava nec non impetus,
Quò trucidet belluam
Ungue, dente noxiam.
In lacunam concavi
Est citandus hic thori,
Fitq; suffitus croco,
Et fragrante succino.
Inde mollitur fera
Omnibus membris aqua
Preligatis faucibus
Et perit sub fluctibus.

Hunc Leonem noscere
Cura sit, de sydere
Quo cadit, ros celicus
Stillat herbis humidus,
Fertq; germen semini,
Flosculumq; stipiti,
Unde nostra plantula,
Crescit & dat pabula
Quæ Leoni grata sunt,
Languidisque conferunt.

4. Gra

IV. GRAVIS: 12.

Terris dives & auro
Prisco rex fuit ævo,
Qui latissima regna,
Et multiplicis arva,
Ubertatis habebat,
Quæ cum pace regebat;
Huic non mascula proles,
Sed virgo fuit hæres,
Quæ cum nupta fuisset,
In lucemq; dedisset
Natam stemmatis alti
Vultus atq; venusti:
Huic possessio regnis
Ulni cesit avitis.

At Rex alter opimas
Ipsi reddere terras
Promisit, sibi charam,
Quod si ducere natam
Uxorem velit ultrò,
Et se sistere regno.

B 5

Paret

Paret victus amore,
Et sponsam capit ille:
Post non tempore longo
Mater portat avito
Ex regno bona cuncta
Ipsi datq; tenenda.
Hinc ditissimus ille
Reges vicit in orbe:
Vix sermone referri
Pondus divitis auri
Possit maxima rerum
Cornu copia verum.
Non desunt ibi gazæ
Regales sine fine.
Nam quæ ceperat arua
Dono matris avita,
Auro plena redundant
Et sic aurea donant:
Terræ flumina rubras
Auri frustula glebas
Volunt montibus altis
Contorquentq; sub undis.

TRIAS
CANTILENARVM

Intellectualium. 5. ACUTA: 13.

PSyche venusta vultu
Vestisq; pulchra cultu
Cupidinem fugatum
Quæsiuit expetitum
Pernix furoris æstu
Longo labore, cursu
Multos vagans per annos
Tractus soli per omnes;
Cognovit hæc amorem
Suum latere tandem
Arabicis per oras,
Concepit unde curas.
Cupido nam sodalem
Junctum tenet perennem
Vulcanium tyrannum
Hunc illa non amicum
Exhorret & timefcit
Semper, patiq; nescit.
Hic impediret arctos
Nexus, nec inter ambos

Con-

Concordiam probaret,
Sed litibus secaret:
Id cum moveret ipsam,
Quæsit huic medelam:
Ad filiam tetendit,
Eiq; rem retexit:
Hæc Gammarina dicta
Est uxor & reperta
Cupidinis fugacis
Mater, Psyche nepotis:
Mox nata cepit in se
Negotium, probeq;
Promisit inter illos
Pacis novare fædus.

Tuetur hanc & illum,
Dum nata, nec tyrannum
Formidat, hinc nepoti
Psyche ligatur uni:
Diversitas & horum
Est temperata morum.

V. MEDIA. 14.

EST volucris indicis
Dicta Ruc in insulis,

Gran-

Grandiore corpore
Et stupendo robore,
Tollat alis ut viros
Subvehens nec non equos
Ætheris per invios
Pervolvendo tramites,
Hæc prehendit ungvibus
Belluam, quæ dentibus
Est eburnis, oreq;
Fungitur promuscide.
Pressus ales hac gravi
Mole succumbens humi
Sternitur prædam tenens,
Unde se non eximens
Morte tandem mutua
Perditur cum bellua.
Protinus vir advolat
Inquilinus & necat
Semimortuas feras,
Unde carnes luridas

Pelle

*Pelle detracta capit
Et domum secum gerit:
Quas coquens in furnulo
Assat, ut pro ferculo
Regis asseruet sui:
Ille namq, mox ibi
Hoc futurus prandio
Vesceretur ferculo.*

*Hujus est virtus cibi,
Addat ut vim lumini
Ut remota nubibus
Cernat & sub noctibus
Quae sepulta vel polo
Sustinentur aut solo.*

*Inde tantum ferculum
Regibus dat pabulum,
Unde cernant longius,
Et queant acutius
Judicare grandia
Regna per negotia.*

V. GRA-

V. GRAVIS. 15.

TAmerlanius hæres
Magnus jure Mogores
A vulgo vocitatus,
Qui nunc ordine denu
Indi ditia regna
Unus multa Monarcha,
Subjecit sibi, certas
Anni tempore gazas
Spectat quolibet aulæ
Oblectatq; bonis se
Pascens lumina rebus,
Quas fert Indica tellus:
Hic ingentibus ædes
Patri sumptibus æquas
Instaurare laborat,
Quas miris pius ornat
Thesauris, latus illis
Triplex omne columnis,
Coeli surgit in auras,
Et nubes quatit altas.

Funda-

Fundamenta locata,
Sunt auroq; parata,
Ne vis verteret hostis,
Unde flamma vel ignis.

Nam Rex huc putat ipse,
Patris spiritus inde,
Quòd post funera tendat,
Et cum corpore degat.
Hic tanto simulachro
Dignatusq; sepulchro
Manes jure parentis
Mactans ossaq; justis,
Hoc nostro monumentum
In primis Duce dignum
Censetur, migret huc quò
Vitâ spiritus orbo:

Sic Ægyptius urnam
Serâpis preciosam
Immigrâsse putatur,
Quo post fata moratur.

B 7

TRI

TRIAS
CANTILENARVM

Intellectualium. 6. ACUTA. 16.

Vastus Draco cavernam
Intrârat excavatam,
In obviòs venenum
Ut mitteret nefandum;
Sævo tremendus ictu
Soloq; mille tactu
Jam funeri dicârat,
Et eminus necârat.
Nulli patebat unde
Tantæ fuère noxæ.

Mox Socrates in alta
Scrutatus est columna
Per concavum specillum,
Anguem latere magnum,
Qui Regulus vocatur
Et hostis æstimatur
Viventiumq; virus
Serpentibusq; pejus.

Huic ille ponit alta
Adversa turre spectra

Ut

Ut bestię videri
Possint & intueri
Imaginis sub umbra
Sese valeret ipsa :
Ex fulgidis metallis
Splendore perpolitis
Specilla sunt parata
Tornoq; concavata,
Magneticoq; tractu
Vigent, trahuntq; flatu
Vicina quæ venena
Et perdomant remota.

Cum Regulus reflēxam
Suam videret umbram
Imaginemq; fædas
Incautus haulit auras.
Et sic perit sagittis,
Quas misit ipse, jactis.
Hunc artis est Draconem
Necare sic nocentem,
Ejusq; virus omne
Auferre fraude cautè,
Et rursus in metalla
Plantare lævigata.

VI. ME.

VI. MEDIA. 17.

Persicis in sinibus
Unda rubra fluctibus
Commoventur, torrido
Usta cancri cingulo:
Teutonum, de terminis
Fortè velis huc ratis
Pulsa venit in via,
Multa per discrimina.
 Inclytus Dux sederat
Puppe celsa, rexerat
Qui secando turbida
Nave ponti marmora.
 Signa cuius candidus
Fronte bos, quem circulus
Cingit ex ferro rubens
Saltibus solum premens,
Quo metalli pondere
Est gravata, turbine
Fluctuet ne longius,
Et prematur fluctibus.

Eurus

Eurus atrox jam fretum
Pervolabat horridum :
Inde navis pellitur
Et profundo sistitur :
Namq; dux dum naufragus
Enatat, magnetibus
Sensit undam fertilem ,
Que trahat fundo ratem
Mole ferri turgidam
Et sibi nectat citam :
Tantus est amor duo
Inter hæc, ut vinculo
Arctiore se trahant
Atq; nodis uniant.
Nostra navis est mare
Quam resorbet vortice :
Magnes haud abest Sophis,
Quo ligatur, sanguinis
Candidam fluxu rosam
Diva que dedit rubram.

6. GRA-

VI. GRAVIS: 18.

PRisco sanguine cretus
Parthorum fuit heros,
Cui Brachmanica turba
Olim præscia fata
Dictârat, fore tempus
Quo nil ederet annus,
Nec messis daret æquum
Cælo divite fructum.
Hinc granaria longa
Per latissima rura
Educi jubet alto
Et consurgere cælo:
Non parère recusat,
Rex at reddere tentat,
Quæ mandata fuerunt,
Ac orâcla tulerunt.
Mox sunt mille vocati
Qui pro munere grati
Æquarent nova stellis
Celsis horrea tectis:

Non

Non intervenit amplum
Tempus, quin benè ceptum,
Finitumq; notatum,
Sic cunctis bene factum.

Hæc intacta relata
Sunt quæ munera terra
Ubertate dedisset,
Et matrice tulisset.

Huc sunt centupla dona
Et millena regeſta,
Quæ Bacchusq; Ceresq;
Effudère benignè.

At si lance rependis
Æquâ quale sub istis
Munus percipiatur
Velis atq; legatur,
Certus mente videbis
Favissamq; notabis.

Non Psaminitus auri
Custos accola Nili,

Nec

Nec quondam Pharo solus
Instant condere fructus:
Est & cura Sophorum
Auro crescat ut aurum.

TRIAS

CANTILENARVM

Intellectualium 7. ACUTA: 19.

HÆc est scientiarum
Regina dans triumphum,
Hæc Lullio docente,
Vexilla fert in arte,
Et teste Morieno
Ad altiora pleno
Gradu vehit scientem,
Beatq; dote mentem,
Ut calleat futura
Quæ sunt suprema fata,
Arcana quæve cæli
Sint Numinisve magni.
Hæc est creationis,
Nèc non redemptionis

Ima-

Imago, quæ quod extat,
Mysterium revelat.

Nam sicut est Adamus;

Ex terrea creatus

Gleba luti rubente,

Pulchroq; factus ore

Et spiritu calentis

Flatus Dei potentis

Perfusus, inde vitam

Ut carperet benignam:

Sic & Sophis rubellæ:

Adest propago terræ,

Quæ fingitur decente

Et tingitur colore;

His tractus ex metallis

Infunditur medullis,

Et corpori ligatur,

A quo lubens amatur.

Triples ut amnis hortū

Rigabat, hinc Adamum

Qui suscipit per anguem

Ubi patrare crimen

Deceptus est, tot undæ

Nostræq; sunt minêræ;

Quæis:

Quæis abluatur, estq;
Draco dolosus arte:
Hic conjuges in uno
Solutione vitro
Circum venit, tenêbris
Nigredinis subortis.

VII. MEDIA. 20.

M Ancipati funeri
Sunt Adami posterî,
Quod DEO non obsequens,
Primus inventus parens,
Poma dum decerpserat
Arboris, quam non erat
Fas adisse, tam trucis
Non medela criminis,
Omnis est homo reus
Illius viro satus.

Tum DEUS benignior
Adfuit sui memor
Et gravi mysterio
Cogitat periculo

C

Mortis

Mortis humanum genus
Liberare protinus.

Sic Deus potens homo
Factus est qui subdolo
Dæmoni caput terit,
Omne robur & rapit:
Nascitur dum Virgine
Labis expers & cruce
Horridam mortem subit,
Et cruentus interit.

Sic in arte mystica
Sunt & hæc umbris sacra
Tecta, sicut Lullius
Cæteriꝫ latius
Afferunt suis libris,
Ut potest videre quis:

Nam quod est à criminis
Mole liberum reis
Subvenit metallico
Sulfuri vim dans suo
Puriore sulfure,
Lumen & de Lumine.

Quæ

*Qui modum perceperit
CHRISTUS ut salvaverit
Nos ab aeterna nece,
Hic potest & noscere
Artis arcana scopum,
Quoq; tingantur, modum,
Quae metalla vilibus
Sunt repleta facibus.*

VII. GRAVIS. 21.

Infinita potensq;
Virtus Numinis usq;
Humanam rationem
Et captum super omnem
Excedit quia nulli
Retrò subdita fini
Non his æquiparanda
Quæ cepere caduca:
Hinc æterna Potestas
Ut deflecteret iras

C 2

Et

18

Et mortalia corda
Noxâ cassa malignâ
Coelos ferret in altos
Ac componeret imos
Cum summis, & amico
Quæ contraria vinclo
Mortalemq; Deumq;
Conjunctos cupit esse
Persona simul una
Quæ sit certa medela
Cretis femine lapsi,
Ut salventur, Adami:
Sic & corpora fixa
Non infixâ marita
Amplectuntur amore
Aut nectunt sibi firmè;
Ni sit syave ligamen,
Extremiq; levamen,
Quod diversa metalla
Formâ jungat in una
Quærendus Mediator
Extat, qui sit amator

Utro-

Utrorumq; fidelis,
His & servit & illis.
O natura stupenda
Quàm vestigia certa,
Salvatoris adoras,
Et ceu dogmata monstras:
Hinc ars & benedicta,
Hoc est nomine sacra
Quod Divina revelet
Nobis, nec sacra celet.

TRIAS
CANTILENARVM

Intellectualium. 8. ACUTA, 22.

A Damici nepotes
Fæces originales
Secum ferunt in orbem,
Fædant suamq; prolem:
Hinc alma dicta Christi
Eos jubent renasci
Ex spiritu per undas
Divinitus sacratas:

Sic

Sic convenit reverti
Res artis & retexi
In pristinam liquoris
Matrem serenioris.
Ut denuò per ortum
Nascantur integratum,
Hoc si manet neglectum,
Nec ceu decet, peractum,
Sublimitate celsa
Fruentur haud metalla.
Nam cum recens Lyæus
Luci foret dicatus
Enutriendus undis
Obfertur ille Nymphis
Amalthææ per oras
Ut pascuis amænas
Sic omnibus frequentes
Hortisq; crebriores:
Hic colluendo crescit,
Et indies tumescit,
Donec juventa flore
Virescat aucta rore:
Bismater ipse audit.
Quod matre bis datus sit

In

In lucis hujus auras,
Nurricedante mammas,
Quæ Copiæ ministrat
Cornu, lac & propinat,
Sic noster est lavacro
Fætus recens amico
Quaterq; terq; lotus
Formosior parandus,
Ut menstruum recedat,
Nec fæx amara lædat.

VIII. MEDIA. 23.

E Levatus in crucem,
Cum foret Christus gravem,
Morte penam sustulit
Dum lytron jussum dedit
Criminum patri suo
Et sibi vero DEO
Cum sacro Flamine
Trinitatis integra.
Passus est tum vulnera,
Quinq; mortis nuncia,

C4|

Unde

Unde sanguis effluit
Innocens, qui perluit
Nostra peccati mala,
Labis & contagia,
Quae nocentes hausimus
Pristinis parentibus.

Hinc salutis symbolum,
Gratiâ Christi datum,
Sanguis ejus in mero,
Panis & formâ Caro
Offeruntur, ut pi
Perfruantur creduli.

Illius mysterij
Dant imaginem Sophi
Arte sacra, dum ferunt
Hoc modo quod accidunt
Sanguinis fluxus rubri,
Qui metallis inditi
Ipsa conseruent focis
Ignium fortissimis.

Fluxit hic ex pectore
Pyrami, quod vulnere

Morte

Morte Tisbes perculit
Ipse, quo se sustulit.
Unde mori candida
Grana facta sunt nigra.
Fluxit idem Cypræ
In Rosetis de pede
Quo rosarum flosculi
Sunt prius tincti rubri.
At cruor venis fluens
Corporis nostri rubens
Omnibus perfectior
Rebus est & fortior.

VIII. GRAVIS: 24

Ignito super altum
Curru vectus Olympum
Vates fertur Elias
Ut calcet pede stellas,
Dans exempla futuræ
Non fallacia vitæ,
Mortales ubi degant
Cum post funera linquant

Cs

Corpus

Corpus pulvere terræ,
Attritum putrefactæ.
Hoc & monstrat Enochus,
Hinc ad sidera vivus
Translatus: Sed id ipse,
Christus comprobat in se,
Qui de morte sepultus
Trina luce levatus
Est virtute potente,
Divinâq; favente.
Nam victor necis ille
Non succumbere morte
Numen se tulit ultrò,
Sed defurgere letho:
Ut nobis aperiret
Cœlestes & adiret
Portas veçte feratas,
Iris antea claufas.
Vivax Gratia Christi
Claustrum rumpit Olympi.

Sic

Sic hac arte magistris
Verax absq; tenêbris
Confert umbra, quôd atrâ
Surgant morte sepulta,
Quamvis sint Elementa
Nexu fortè soluta.
Nam vis Corporis æqui
Non fert pulvis ut ægri
Dispergatur in auras
Amittendo figuras:
Sed se robore firmat,
Vinclis junctaq; durat,
Ut gaudere per ignes
Possint utraq; fortes.
Fixum nempe refixat
Infixumq; reformat.

TRIAS

CANTILENARVM

Intellectualium. 5. ACUTA: 13.

O quanta Trinitatis
Profunditas, Tonantis,

O ab,

O a titudo quanta
Est numinis suprema,
Quod in DEO sit unum,
Essentiale Trinum:
Quis illa cogitatu
Queat vel explicatu
Pro jure dignitatis
Satis referre metris?
Non mactatus unda
Pulvis capescit illa,
Humana mens hebescit,
Ad haec, & alta noscit,
Hic educatus imis
Quae sunt remota caelis.
At Lumen a viterni
Solis tamen tueri
Tentabo noctuinis,
Ceu fas, lubens ocellis,
Unum DEUM profundi
Fatemur Universi
Quicuncta fecit orbe,
Quae non erant, polite.
Expersq; finis omnis
Boniq; fons perennis

Idem

Idem Pater benignus,
Est Filiusq; charus:
Amorq; Spiritualis
Illius & Parentis.

Sic sunt in arte terna,
Ab invicem remota,
Quæ colligantur uno
Ceu sempiterna nodo,
Nec separantur ignis,
Æstu flagrante, flammis;
Est corpus hic Paternum,
Est Filiale vinclum:
Est spiritus ligandus
Utriq;, dulce fædus
Ut uniat metalla,
Nec vis resolvat illa.

IX. MEDIA: 26.

Ille Rex Ægyptius
Et sacerdos & Sophus,
Multa tradit de Patre,
Filio, cum Flamine:

C7

Hinc

Hinc Sophorum plurimi
Asserunt, quod nescij
Non fuerunt ex suis
Artis arcanae sacris;
Quod futurus Filius
Sit DEI post carneus
Nasciturus Virgine
Absq. patris semine:
Ceu Bonus Ferrarius
Testis est cum pluribus.
Sed fides sit debita
Firma sive lubrica
Cuiq. nos id credimus
Quod pium sit equius.
Sancta testimonia
Cum supersint plurima,
Cum prophanis hoc idem
Litteris si comprobem,
Inde ne quis arguat
Veritatem, sed legat
Hancq. Nature libris
Gratus agnoscat sacris. Virgo

Virgo pura concipit
Absq; patre, quae dedit
Post Puellum masculum
Has in auras splendidum.
Hæc trium res altera
Visitur non ultima
Nec prior; quam candido
Ventre misit è suo
Virgo mater: ô sacra
Quis capit mysteria?
Nostra virgo proxima
Est a sello, sidera
Inter & præsepio
Cynthio favet viro:
Frater hic & masculus
Est eidem Filius.


IX. GRAVIS. 27.

Quæ sint gaudia vitæ
Æternanda futura,
Mens est nescia nostra,
Captans talia frustra,
Quæ

Quæ non audiit auris,
Et sensus fugit omnis,
Nam magnalia celso
Quæ sunt obvia cælo
Innutritus in imis
Non suffert homo tricus:
Tantum noscitur; alma
Quod sint Numinis ora
Contemplanda voluptas,
Necessura voluntas,
Dum cantando Creator
Æternus celebratur,
Hæc est cognitionis
Nostre summula mentis.
Hinc mortalia corda
Hæc urget proba cura,
Ut terrena requirant,
Et summè sibi poscant,
Quæ sunt proxima longis
Durandis bona seclis.
Ex his emicat Aurum
Post cœlesti gratū, Quod


Quod conatibus omnes
Miris querere gentes
Optant & preciosis
Nec non arte parandis
Dant, ceu pondera rebus,
Mensuramq; caducis,
Cujus suspicienda
Non est altera causa,
Quàm quod tale metallum
Ignis sufferat æstum,
Et quæ cætera cuncta
Absumunt Elementa.
Hoc unum superare
Perstat, sicq; videtur,
Cur sacris similetur,
Æternisq; ligatum
Firmis nexibus AURUM.


FINIS.



Quod conatus omnes
Miserere genos
Optare & precione
Nec non sic parandis
Dane con pondera topus
Mentum ad cadavis
Cujus in pice dars
Non est aliter carlat
Quam quod iste metallum
Igne dicitur refusa
Et dicitur cuncta cuncta
Ab horum B. dicitur
Iocunde dicitur
Pellat dicitur videtur
Cor lactis in dicitur
Hic dicitur dicitur
Fama dicitur dicitur







L
pi
ga
re
Po

A
fo

S

J

Ug 572 ✓

von H.C.





ANTILENAE
INTELLECTUALES

In Triadas 9. distincta,

ET PHOENICE RE-
DIVIVO, HOC EST,

*Medicinarum omnium pre-
sima, (que Mundi Epitome & Uni-
Speculum est) non tam altâ voce, quàm
profundâ mente dictata. & pro*

CLAVE

*arum irreferabilium in Chymia
rcarum rationabilibus ministratae,*

AUTHORE

CHAELE MAIERO, COMITE
*unite, Doctore Medico, Exemp. olim
Cas. Majest. Aulico &c.*

ROSTOCHII

MAURITII SAXONIS, prostat
t Johannem Hallerfordium Bibliopol.
Anno M. DC. XXII.